

stitui inter Christi & Iohannis baptismum, ratione duarum distinctarum partium, quae in una eademque actione & opere unius Baptismi concurrunt: quarum una est Ministeri, Aqua nimirum aspersio: altera Christi, sanguinis videlicet & Spiritus effusio.

28. Harum quamlibet ad suum proprium fontem ac principium revocat Iohannes: ac sibi quidem, externam asperionem aquae: Christo verò virtutem illam spiritualem adscribit.

29. Neque tamen duae haec ac distinctae agentium manus, Christi nimirum & Iohannis, geminum & diversum; sed unum numero eundemque baptismum constituunt: siquidem neutra sine altera agit: sed ad unum ἀποτέλεσμα utraque, licet distinctè, concurrat: Ac proinde illud precipitium fugiendum, quo talis diversa à Sacramentarijs fingitur dispensatio, quasi minister sit, qui equam duntaxat: Deus autem, qui Spiritum immediate in baptismo administrat. Et si enim virtus haec in ministeri potestate non est sita: interim tamen ea ipsa à ministris dispensatur: siquidem vi institutionis Christi, non absque, sed cum & per Ministerium eam largiri vult Deus, penes quem solum virtutis illius potestas residet.

30. Unitatem præterea Sacramenti huius non violat Antiquum illud, quo veteres triplicem constituerunt Baptismum: unum Fluminis, qui est hoc ipsum, de quo disputamus, Sacramentum:  
Alium